

XI.

STATUTI DEL 1395¹

[STATUTA COLLEGII MEDICORUM CIVITATIS BON. PHISICE DOCTORUM.]

[453] In Christi Nomine amen, [ad honorem et reverentiam omnipotentis dei etc.], honorabiles et scientifici viri prior doctorum scientie medicine Collegij studij bononie et doctores ipsius Collegij circha statum prosperum eiusdem Collegij et scolarium studentium in dicta scientia in studio antedicto sedulo vigilantes, et cupientes statum ipsum eorum providentie utilis provisione dirigere, ut doctores et scolares ipsi, qui nunc sunt et erunt pro tempore continua, autore domino, exinde suscipiant incrementa, statuta dicti collegij hactenus edita cum summa diligentia recenserunt, et prudentum participato consilio, quedam ex ipsis statutis approbaverunt, pluraque declaraverunt et nova admixerunt, prout crediderunt varietati temporis expedire, ipsaque statuta sic per eos approbata ac de novo addita ad omnipotentis dei et eius Matris beate Marie virginis gloriose nec non totius celestis curie gloriam et honorem, et ad exaltationem regiminis popularis civitatis bononie et quietum statum Studij prelibati, statuta eadem voluerunt et decreverunt in hac forma describi et sub infrascriptis Rubricis debite collocari, eaque statuto publicaverunt et voluerunt in omnibus et per omnia observari, alijs statutis prefati collegij penitus revocatis. Quorum statutorum cum Rubricis precedentibus sic se habent.

De hijs qui sunt in collegio doctorum scientie medicine et de solemnitatibus observandis in hijs qui deinceps admittentur ad ipsum collegium – Rubrica [J.]

Constituimus et ordinamus nos omnes infrascripti doctores, quorum nomina sunt hec, videlicet M. Antonius de Feris ad presens prior, M. Paulus de bualinis, M. Baldassar de Confortis, M. Martinus de Ricardis, M. Iohanes de Cazano, M. Petrus de [454] Varenzana, M. Iohanes de Muglio, M. Franciscus aristotilis, M. Franciscus de Cultris, M. Paulus de calorijs, M. Bertolomeus de Barberijs, M. Guizardus de Portanova, actualiter incorporati et pacifice firmati in Collegio doctorum scientie Medicine Civitatis Bononie ac ipsum Collegium representantes, quod nullus de ceptero possit ad ipsum collegium, vel ad honores aut comoda dicti Collegij admitti, nisi sit et fuerit verus civis civitatis Bononie ratione originis proprie et paterne, vel proprie et avite vel proprie et proavite. Quam originem paternam vel avitam vel proavitam sufficiat per tres vel quatuor testes fide dignos probare de publica voce et fama, sed origo propria probetur per quatuor testes fide dignos, qui sint cives Bononie; et insuper quod reperiantur in scripturis Memorialium Comunis Bononie vel notariorum publicorum comunis Bononie ipse vel sui ascendentes descripti inter cives Bononie et ad extima civium civitatis Bononie, et qui non fuerit directe vel per obliquum contra ipsum collegium vel eius honorem, et qui sit doctor habitatus immo approbatus in privato examine tamquam civis Bononie origine propria et paterna a duabus partibus doctorum dicti collegij, et presentatus ad publicum et privatum examen de consensu doctorum dicti collegij Bononie per dominum Archidiaconum civitatis Bononie seu alium vel alios dictum officium exercentes in civitate Bononie, et qui legerit per unum annum ad minus in scolis publicis Medicinam, et homo bone vite, conversationis et fame et de consensu doctorum collegij antedicti, scrupulatio prius celebrato cum fabis albis et nigris, iuxta modum et formam constitutionis sequentis, aprobeate in privata et publica a dicto Collegio et posita in dicto collegio. Et debeant esse dicti de dicto collegio ad plus collegiati et principaliter incorporati quindecim numero, quorum alter vel alteri possit vel possint esse presentandi vel presentantes scolares et tre Bononienses, ut supra, supranumerarij ad plus, qui succedant loco absentium secundum

¹ C. Malagola, *Statuti delle Università e dei Collegi dello Studio Bolognese*, Zanichelli, Bologna 1888, ristampa Torino 1966, pp. 453-481.

ordinem infrascriptum. Et quod quilibet, qui intrare voluerit dictum collegium, s[ci]licet in numero predicto ipsius, teneatur observare infrascripta, scilicet dare petitionem suam in scriptis priori, vel qui pro tempore fuerit, in presentia duorum ad minus doctorum dicti collegij. Qui prior presentet dictam petitionem collegio doctorum vel duabus partibus eorum, et ipse talis qui aggregari voluerit dicto collegio teneatur fidem antedicto priori et prefatis duobus doctoribus facere de omnibus suprascriptis et solvere et deponitum facere ante aggregationem fiendam de dicto collegio pro eius introitu dicto domino priori vel notario dicti collegij treginta ducatos auri, nisi fuerit frater, filius vel nepos alicuius doctoris dicti collegij; quia tunc et eo casu solum deponere teneatur, ut supra, quindecim ducatos auri, comunicandos, statim facto dicto introitu antedicti collegij, inter dictos doctores dicti collegij incorporatos et collegiatos principaliter, ut supra, et principaliter existentium in civitate Bononie et absentes rei publice causa; et statim, facto scriptinio, ut supra, et obtento quod in dicto collegio aggregari debeat, teneatur ipse talis jurare in manibus prioris, qui pro tempore fuerit, et corporaliter ad sancta dei evangelia, tactis scripturis, quod servabit constitutiones dicti collegij factas et fiendas, et omnia et singula contenta in dictis constitutionibus et qualibet earum, [455] et quod ipse re, verbo vel facto numquam erit contra dictum collegium et honorem, et toto posse defendet dictum collegium, iura, iurisdictiones et honores collegij prelibati et cuiuslibet doctoris eiusdem, et quod cuiuslibet doctori ipsius collegij semper reverentiam exhibebit, et quod obediet priorj ipsius collegij, in omnibus que spectant ad eius officium et honorem collegij antedicti et alijs licitis et honestis, cui juramento, si in aliqua sui parte contravenerit, vel contravenienti consenserit, ipso facto sit privatus ab ipso collegio et quolibet eius honore et comodo, nec aliquo modo possit infra quinque annos restituji, nec post etiam, nisi fuerit obtemptus per tres partes ex quatuor doctorum omnium dicti collegij. Modum autem succedendi suprascriptorum supranominatorum esse volumus et declaramus in hac forma, videlicet quod loco cuiuslibet mortui naturaliter primus supranumerarius quo ad omnia succedat; et sic successive loco secundi et ceptorum secundus et cepteri loco eorum, attento ordine prioratus dicti collegij, inter eos vero succedant; in loco vero cuiuslibet absentis non causa rei publice, succedant modo supradicto dicti tres supranumerarij in omnibus, preter quam in hijs, que reperirentur prohibita ex forma presentium constitutionum, dum tamen, si revertatur absens locum suum statim ipso jure et facto recuperet, et subrogati vel subrogatus juxta formam predictam loco mortuorum aut absentium, ut supra, ultimo loco numero adimpleto secundum formam predictam dictorum collegiatorum et incorporatorum, ipsis vel altero eorum revertentibus, ut supra, ipso jure et facto tamen primum supranumerarium recipiat, salva semper constitutione fienda de privilegijs concedendis filijs et fratribus ac nepotibus doctorum tam viventium quam mortuorum, declarantes etiam quod, in quacunque parte nostrarum constitutionum fiat mentio de vero cive vel de vero Bononiense, intelligatur, ut supra in principio huius constitutionis, de eo qui est vere et naturaliter civis Bononiensis [origine] propria, paterna, vel propria et avita, vel propria et proavita, secundum formam nostre constitutionis et reformationis, posit sub Rubrica *de modo et forma conservandi studium in Civitate Bononie* etc. Qui vero fuit seu fuerit admissus ad privatum examen in dicta scientia medicine non tamquam Civis Bononiensis ratione originis proprie et paterne vel proprie et avite vel proprie et proavite, nec satisdederit de assumendo in dicta scientia privatum et publicum examen tamquam civis Bononiensis, ratione originis proprie et paterne, et qui alias solempnitates in dictis nostris constitutionibus contentas non servaverit, perpetuo non possit esse de dicto collegio, nec ipsi collegio aggregari nec aliquo comodo et honore dicti collegij gaudere.

De electione domini prioris et consiliariorum – Rubrica [IJ].

Statuimus et ordinamus quod doctores ipsius collegij nostri continuo inter se habeant et habere debeant unum priorem ipsius collegij; qui prior eligatur ad breviam secundum modum [h]actenus observatum, ubi et quando processerit de volumptate prioris et maioris partis collegij. Quod si non, fiat electio per voces, cum fabis albis et nigris, et ille qui plures fabas albas habuerit intelligatur esse prior; ad quam electionem

prioris novi teneatur prior precedens procedere, convocato collegio per quinque dies ad minus ante finem sui officij, sub pena periurij. Cuius prioris sic creati et electi, modo predicto, officium incipere debeat finitis tribus mensibus prioris, tunc suum officium debentis finire, et duret tribus mensibus, ut supra et non ultra, et aliorum priorum sic creandorum incipere debeat dictis tribus mensibus, et duret ut supra. Qui prior sic electus, tempore dicte electionis, si presens fuerit, alias in proxima congregatione fienda de dicto [456] collegio et doctoribus ipsius, juret et jurare teneatur corporaliter ad sancta dei evangelia, manu tactis scripturis, in manibus tunc prioris, collegium prelibatum eiusque iura totis viribus defensare, et constitutiones eiusdem collegij observare, juxta ipsius possibilitatem et non pati collegium predictum congregari nec etiam congregari facere pro aliqua re vel facto, quo[d] videatur reddere posse seu redundare posse in dampnum, dedecus vel obprobrium dicti collegij; et quemlibet doctorum dicti collegij venientem contra constitutiones ipsius collegij vel aliquam earum verbo vel facto condempnare, secundum modum et formam dictarum constitutionum et penas in quibus incurisset, seu incurissent, vigore dictarum constitutionum, exigere seu exigi facere infra tempus eius prioratus officij, sub pena dupli eius quod fuerit condempnatus ille a quo exigere debuerit; item etiam qu[er]cumque eidem domino priori in secreto comissa per dictum collegium in secreto retinere et non proferre, nisi si et quando processerit de voluntate doctorum dicti collegij. Et etiam quod in dicto collegio non proponet nec proponi consentiet directe vel per obliquum quod aliqua constitutio, vel eius pars, tollatur vel dispensetur, nisi si et in quantum caveretur et permitteretur ex forma dictarum constitutionum vel alicuius earum, vel nisi processerit de voluntate trium partium ex quatuor partibus doctorum dicti collegij presentialiter existentium in Civitate Bononie, scrutinio cum fabis albis et nigris inter ipsos primo legitime celebrato. Et quod congregabitur et congregari fatiet predictum collegium totiens quotiens fuerit congruum et opportunum fore pro bono, honore comodo et utilitate dicti collegij et doctorum eiusdem et non aliter nec alio modo nec alia causa; quod si forte aliter factum fuerit, ipsa congregatio et omnia et singula in ea ordinata vel facta, ipso jure et facto sint et intelligi debeant esse cassa et vana ac nullius efficacie, et etiam quotiens fuerit requisitus per tres doctores dicti collegij. Volumus etiam quod post electionem prioris eligantur duo consiliarii secundum formam predictae constitutionis de electione prioris, qui habeant priori consulere, sub vinculo juramenti eis prestandi, de hijs que crediderint honorabilia fore, pacifica et utilia ipsi collegio et doctoribus eiusdem, ac cum dicto priore de alia facere secundum consuetudinem.

De officio et jurisdictione domini prioris – Rubrica [III.]

Volumus autem quod jurisdictione dicti domini prioris sit hec, videlicet quod possit, teneatur et debeat congregare et congregari facere dictum collegium et doctores ipsius ad minus semel in mense pro omnibus necessarijs vel opportunis aut quomodolibet utilibus dicto collegio et doctoribus ipsius, sub pena quadraginta soldorum bon., pro qualibet vice, dum tamen congregari facere non possit pro aliquibus vel aliquo prohibitis vel prohibito in presentibus constitutionibus, sub pena ipsius periurij et quinque librarum bon., pro qualibet vice qua contrafecerit vel predicta facere obmiserit, exigenda et applicanda ut supra. Et incontinenti in congregatione predicta teneatur proponere quecumque non prohibita, ut supra, cum fuerint petita, prius tamen lecta posta, super qua dictum collegium providere debeat vel debet, petendo consilium a doctoribus dicti collegij super quo petitur provideri et secundum formam doctorum et consiliariorum, tamen ad partitum cum fabis albis et nigris scrutinium faciendo de quolibet consilio per se, donec alterum ex predictis consilijs fuerit approbatum, manendo in electione dicti prioris; quod consilium proponere et proponere velit ex dictis consilijs et voces plurium numero doctorum ibidem presentialiter existentium sequi. Que fabe colligi debeant per antiquiorem [457] doctorem vel per notarium aut bidellum dicti collegij, ibidem presentialiter existentium, in quodam busulo, qui debet aperiri in presentia doctorum doctorum. Ita quod publice a doctoribus ibidem existentibus videatur et videri possit, que partita, provisiones et omnia fienda per priorem dicti collegij et doctores ipsius scribi debeant per notarium dicti collegij; et valeat, possit et teneatur ipse prior cognoscere summarie et de plano, sine

strepitu et figura iudicij, de omnibus et singulis questionibus, que verterentur vel verti possent inter prefatos doctores occasione collegij prelibati vel quacunq[ue] alia occasione descendente principaliter occasione dicti collegij et jurisdictionis eiusdem, salva semper et reservata forma nostrorum statutorum precedentium et sequentium, quibus dominus prior non possit con[tra]venire, dum tamen eas decidere non valeat sine consilio duorum doctorum dicti collegij vel maioris partis eorum, et decisioni vel sententie illi stetur, nec ei possit aliquis dictorum doctorum contravenire vel contraveniri consentire, nec alijs querelare ad regimen civitatis predictae, nisi in predictis non foret servata forma statutorum, sub pena privationis collegij et centum bon. auri, applicandorum secundum formam constitutionum sequentium, totiens exigenda, quotiens fuerit contrafactum, ac etiam multare et condempnare usque ad quantitatem decem soldorum bon. ad plus quemlibet ex doctoribus existentibus presentialiter et presentibus in civitate bononie, requisitis per Bidellum dicti collegij, qui non interfuerit congregationi dicti collegij; quam requisitionem facere seu fieri teneatur dictus prior per Bidellum predictum per mediam diem ante congregationem fiendam de dicto collegio ad minus, ita quod verisimiliter ab omnibus doctoribus sciri possit, dum tamen predictus, vel predicti doctores, non fuerint impediti ex probabili vel necessaria causa, declaranda per dictum priorem in sequenti congregatione fienda, et eius declarationis stari debeat, ac etiam omnes et singulos contrafactantes secundum formam constitutionum dicti collegij in penis in dictis constitutionibus contentis et que multa, seu pena, applicetur et exigatur ut supra. Predicta autem prohibita [non] debea[n]t in aliqua congregatione proponere nec proponi vel arengari dimittere directo vel per obliquum, dispensatione facta vel non facta, sub pena priori predicto periurij et decem librarum bon. pro qualibet vice et cuilibet doctori contravenienti in predictis vel [non] observanti predicta pro qualibet vice periurij et decem librarum bon. et privationis collegij. Que omnes pene applicari, exigi et dividj debeant ut supra. Et nichilominus ipso jure et facto, dum dictus prior accedere velit ad predicta, vel firmus steterit in congregatione dicti collegij pro predictis vel aliquo predictorum, sit privatus collegio antedicto et ellici debeat novus prior secundum formam superius traditam. Et quod super predictis restitutio aliqua fieri non possit, dum tamen in primis ut supra, et non specialiter prohibitis dictus prior aliquid proponere, dicere, facere non possit, nisi adsint personaliter due partes doctorum collegij existentium in Civitate Bononie; et quod prefati doctores non possint se congregare sine mandato dicti prioris vel subrogati loco eius, ut supra, sub pena cuilibet doctori predicta non observanti quinque librarum bon. Mandantes quod omnia et singula contenta in volumine presentium constitutionum, prout scripta sunt, in qualibet sui parte debeant inviolabiliter per priorem dicti collegij, vel subrogati, ut supra, qui pro tempore fuerit, observari et quod per quemcunque doctorem collegij prelibati observari, sub penis in dictis constitutionibus contentis. Adicientes etiam in predictis quod, ubi voces essent equales alicuius partiti facti inter doctores, ut supra, tunc dictus prior possit et valeat gratificari [458] cui parti voluerit, et parti cui gratificaverit stari debeat modo et forma predictis; et quod dominus potestas civitatis bononie teneatur dare favorem et auxilium dicto priorj in penis exigendis per dictum priorem vel massarium, aut cui commissum fuerit, ut exigere debeat. Mandantes etiam quod dictus prior omnes penas pecuniarias exigere debeat infra mensem a die condempnationis, si tempus eidem adierit; alias prior sequens teneatur exigere ante mensem, a principio sui officij incipiendo, sub pena dupli condempnationis. Et quod nulla quantitas dicte pecunie vel alicuius condempnationis possit per ipsum distribui, nisi sit de consensu omnium doctorum, seu duarum partium, scrutinio celebrato, sub pena priori dupli dicte quantitatis pecunie contrafactanti.

**De modo et forma conservandi studium in civitate bononie circha sedem ordinariam in
medicina et de presentatione ad privatum vel publicum examen fiendum per doctores
medicine – Rubrica [III].**

Considerantes quod propter lecturam ordinariam in medicina, attributam doctoribus nostri collegij et continuatam per eos, studium medicine in civitate Bononie est auctum et conservatum, constituimus et firmamus quod ipsum collegium et doctores eiusdem collegij vinculo sacramenti, ab eis et quolibet eorum

prestandi, teneantur facere et curare quantum in eis est, et eorum fuerit possibilitas, quod doctores medicine civitatis Bononie et maxime nostro collegio aggregati, legant et presint lecture ordinarie de mane, ut moris est et fuit per tempora longiora, et quod ipsi doctores collegiati, ut supra, tantum, et nullus alius, presint lecture ordinarie supradicte, vel legant ordinarie de mane, et quod per aliquem quovis modo, colore vel causa non possit aliquis doctor civis bononiensis inpediri, neque ab ipsis doctoribus collegiatis removerj predicta sedes ordinaria. Et ad huiusmodi observationem teneantur dicti doctores et collegium prestare auxilium, consilium et favorem ac juvanem pro premissorum efficaciter observatione. Sed si contingat, quod deus advertat, aliquem nostrum doctorem, ut supra, quovismodo impediri vel molestarj in dicta lectura, vel aliquem alium doctorem velle legere ordinarie de mane vel preponi ipsi lecture quovis modo vel colore, ad eius instantiam, aliter non, teneantur omnes doctores dicti collegij toto posse resistere, et quibuscumque modis, etiam per desistentiam a lectura dictorum doctorum civium et desistentiam a cura infirmorum et a consilio dictorum doctorum in quibuscunque casibus emergentibus in civitate Bononie. Et prior, qui pro tempore fuerit, vel alius eius locum tenens, tunc teneatur mandare predictas desistentias et alia quecumque viderentur expedire pro observatione predictorum, sub pena ipsi priori, vel eius locum tenenti, quingentorum florenorum aurj, applicandorum pro tercia parte camere Communis Bononie et pro alia tercia parte Collegio, antedicto, et pro reliqua tercia parte domino Potestati Bononie. Et ipse Dominus Potestas ex officio ipsius teneatur dictam penam, ut supra, exigere facere et executionj mandare et nichilominus ipso jure et facto sit privatus a dicto collegio; et ad eandem penam teneatur quilibet doctor ei non parens in predictis mandatis desistentiarum, vel aliqua earum. Volumus etiam quod quilibet forensis examinandus, antequam admittatur ad privatum examen, jurare teneatur, tempore presentationis de ipso fiende priorj, in manibus prioris qui pro tempore fuerit, vel officium prioratus gerentis, vel alterius cuj prior vel eius [459] vices gerens, commiserit, de non legendo ullo tempore sponte vel choacte, cum alicuius mandato vel sine, in medicina de mane ordinarie in Civitate Bononie, vel lecturam de mane suscipere directe vel indirecte, nec non similiter jurare de non procurando vel at[t]entando agregarj collegio predicto, vel in eo assumj, et de non presentando nullo tempore per se vel alium aliquem scolarem ad aliquod examen privatum vel publicum fiendum in scientia medicine, et non tradendo per se vel alium [ullo] tempore alicuj, promovendo ad doctoratum in dicta scientia medicine in ipsa civitate bononie, librum vel insignia aliqua doctoratus, et de non exercendo actum aliquem de predictis vel aliquem alium pertinentem ad doctores collegij tantummodo, sponte vel coacte, cum alicuius mandato vel sine, ut supra, sub pena quingentorum florenorum aurj a quolibet et qualibet vice exigenda et committenda quotiens contrafactum fuerit, et applicanda ut supra, que pars applicanda collegio remitti non possit directe vel per obliquum. Que omnia collegium et doctores dicti collegij effectualiter et precise observare debeant ut supra. Teneatur etiam dictus forensis presentandus, ut supra, jurare, ut supra, de non veniendo ad publicum, vel accipiendo insignia doctoratus prius alibi quam in civitate Bononie et etiam teneatur dictus examinandus jurare de non faciendo nec veniendo contra aliquam nostrarum constitutionum. Providentes etiam quod contra predicta vel aliquid predictorum non possit arengari, consuli aut fierj aliqua dispensatio, suspensio, annullatio vel revocatio, modo aliquo, causa vel colore. Et si contingeret per aliquem, vel aliquo predictorum, arengando, consulendo, proponendo vel consentiendo tacite vel expresse, aut provenienti ad aliquem actum per quem predicta, vel aliquid predictorum, peterentur, obtinerentur, vel obtinerj possent directe vel per obliquum, ipso jure in penam incidat quingentorum florenorum aurj, committenda et applicanda, ut supra. Et nichilominus talis contrafaciens omni honore, jure et comodo dicti collegij sit ipso jure et facto privatus perpetuo, in quo nunquam possit agregari. Verum autem Civem civitatis bononie et verum Bononiensem intelligimus, qui sit vere et naturaliter civis bononie originarius origine propria et paterna, vel propria et avita, vel propria et proavita. Propriam autem debeat vere probarj, ut in principio sub Rubrica *de personis que possunt esse de collegio* habetur. Que probatio fiat et fieri debeat coram priore collegij, qui pro tempore fuerit, nec non et quatuor doctoribus de antiquioribus dicti collegij specialiter ad hec ellectis et deputatis per collegium antedictum, qui antiquiores sint secundum ordinem dicti collegij. Qui prior et quatuor doctores predicti simul omnes recipiant probationes predictas per se tantum et fideliter

et diligenter advertant, sub vinculo juramenti, ne aliqua fraus committatur. Et si ipsi, vel aliquis alius doctor dicti collegij, sciret vere, presumptive, vel probabiliter aliquam fraudem committi, teneatur statim notificare dicto priori dicti collegij, vel eius locum tenenti; qui prior, vel eius locum tenens, teneatur statim ipsum collegium et doctoribus ipsius notificare, ut ipsi provideant omnibus modis et remedijs ne fiat fraus aliqua, tenendo in secreto nomen doctoris, qui hoc notificaverit, si ipse doctor voluerit, sub pena cuilibet doctori non notificanti, ut supra, ducentorum florenorum auri applicandorum, ut supra; et per notarium collegij probationes et alia in actis reducantur. Qui prior et alij quatuor doctores antiquiores ante omnia jurent corporaliter ad sancta dei evangelia in predictis, remotis hodie et amore, timore, prece et precio, se dictas [460] probationes legaliter et fideliter audire et recipere, secundum quas cum civem, vel non civem, quo ad predicta, pronuntiet et pronuntiare teneatur prior collegij secundum relationem dictorum doctorum, si concordēs fuerint, alias prout maior pars eorum concors fuerit. Que pronuntiatio et declaratio fiat in presentia collegij et doctorum eiusdem, cui pronuntiationi stetur, nec contra ipsas quoquo modo fieri possit aut disponi, sub pena perjurij.

Quid teneantur observare doctores de collegio doctorum medicine tam in eorum habitu quam in eorum incessu – Rubrica [V.]

Constituimus et ordinamus quod quilibet doctor medicine teneatur incedere in habitu honesto et in habitu condecienti honori et statui doctoratus. Et quod nullus ex doctoribus dicti collegij debeat ire ad examen alicuius scholaris, publicum vel privatum, seu ad punta alicuius scholaris civis vel forensis, vel ad exequias alicuius doctoris nostri collegij, absque caputeo foderato vario, vel bireto, nisi tempus fuerit pluvie, vel caloris aliud inducat, vel fuerit per priorem et doctores collegij ordinatum. Intelligendo tamen semper quod quilibet doctor nostri collegij teneatur ad publicam cuiuslibet promovendj in sancto Petro deferre caputeum vario foderatum. Et si aliquis in aliquo predictorum contrafecerit, ipso facto incurrat penam decem soldorum bon. applicandorum collegio. Et quod nullus doctor nostri collegij possit transire limites sue habitationis per triginta perticas, sine uno socio pedestre vel equestre.

Quid teneatur facere doctor volens aliquem scolarem presentare in medicina – Rubrica [VI.]

Constituimus et ordinamus quod quilibet doctor, qui vult aliquem scolarem presentare ad publicum vel privatum examen, debeat esse de dicto numero collegiatorum quindecim, vel de supranumerarijs succedentibus loco dictorum doctorum incorporatorum et collegiatorum ratione absentie, ut supra, ipsorum collegiatorum et incorporatorum; et debeat sub eius conscientia inquirere, antequam aliquem scolarem presentet, de vita et honestate dicti scholaris presentandj, et juret ad sancta dei evangelia in manibus domini prioris quod credit scolarem, quem presentat, esse ydoneum et sufficientem ad examen publicum et privatum secundum eius conscientiam; tunc presentet eum domino Archidiacono vel alio, seu alij, ad quem seu quos dictum officium pertineret et subsequenter priorj collegij juxta morem consuetum; dumtamen presentare non valeat aliquem scolarem forensem minorem viginti annis nec aliquem scolarem, qui non audiverit in medicina saltem quinque annis vel ex comuni fama doctorum constet ipsum in artibus fore sufficientem. Et si fuerit licentiatu in artibus quatuor annis et non legerit cathedraliter aliquem tractatum seu libellum in medicina, et qui non respondiderit, seu disputaverit in scolis duas questiones generales, vel unam questionem generalem et unum quodlibet, de quo tempore credatur sacramento scholaris, prestando in manibus prioris dicti collegij, vel alterius de mandato dicti prioris, si de contrario non sit fama; et tunc teneatur scholaris fidem facere de predictis et die examinationis teneatur dictus doctor ire ad domum dicti scholaris et eum iterum examinare, et audire ipsum super lectione eidem in punctis assignata. Et quod nullus doctor dicti collegij civitatis Bononie possit vel debeat aut eidem [461] liceat manere vel stare alicui examini privato vel publico, nisi primo et ante omnia prestitutum

sacramentum, per scolarem forensem presentatum priorij collegij presenti vel ante, de non veniendo contra collegium antedictum et constitutiones ipsius collegij directe vel per obliquum. Et quod non petet vel peti faciet per se vel alium, aliquo modo vel ingenio, se poni vel micti in collegio antedicto, nec admissus quoquo modo accedet ad dictum collegium sub pena cuilibet doctori contrafacienti, et pro qualibet vice, periurij et vingintiquinque librarum bon. collegio antedicto applicandarum, et exigenda per priorem collegij antedicti, qui pro tempore fuerit. Et quod prior collegij predicti qui negligens fuerit in exatione pene predictae, similem penam incurrat, applicandam et exigendam ut supra. Adhicientes quod nullus doctor dicti collegij possit aliquem presentare ad publicum vel privatum examen nisi primo et ante omnia solverit condemnationes in quibus reperiretur condemnatus.

Qualiter prior non possit ponere partitum unius rei nisi semel – Rubrica [VI.]

Quia propter importunitatem petentium multa inconvenientia aliquando conceduntur et consequuntur, que non concederentur et sic, unde debet jus oriri, oppositum aliquando consequitur, presenti morbo obviare volentes, hac constitutione decrevimus et firmamus quod quocienscunque contingerit de ceptero aliquam fieri postam in collegio antedicto super quacunque re vel facto, que non fuerit admissa, amplius non possit proponi per ipsum priorem, nec super ea aut contentis in ea consuli aut arengari tempore sui prioratus, vel per alium quemcumque subrogatum vel subrogandum loco ipsius prioris, [sub pena] contrafacienti vingintiquinque librarum Bon. et privationis officij sui prioratus pro qualibet vice, et cuilibet alteri doctori contrafacienti decem librarum bon. pro quolibet et qualibet vice. Et nichilominus quicquid fuerit firmatum contra formam predictam, dispensatione facta vel non facta, ipso jure et facto sit cassum et vanum.

Qualiter debeant convocari doctores collegij medicine, in quo loco et in quibus diebus – Rubrica [VII.]

Hac nostra constitutione presenti firmamus, quod doctores nostri collegij congregari et convocari debeant in Ecclesia cathedrali civitatis Bononie, quandocunque convocati fuerint per priorem dicti collegij aut per alium eius nomine subrogatum, seu pro parte ipsius prioris vel subrogati vel alibi, dum tamen non convocet diebus pascalibus, dominicjs corporis et sanguinis Christi, assumptione Beate Marie, diebus Apostolorum, sancti Petronj, sancti Floriani, sancti Iohannis Batiste et Sancti Laurentij, nisi necessaria causa fiat congregatio, que arbitrio prioris consideretur; et unusquisque doctor, qui vocatus fuerit, debeat interesse, nisi impeditus fuerit justa et rationabili causa, sub pena contenta in constitutione posita sub Rubrica *de electione novi prioris*. Collegium autem ipsum congregari volumus ex causis permissis et concessis in nostris Constitutionibus et ex alijs et honestis, et prohibitis vero causis nullo modo possit congregari, sub penis contentis in nostris constitutionibus.

De ensenio faciendo priori et doctori qui promovet scolarem in privato et publico – Rubrica [VIII.]

[462] Constituimus et ordinamus quod quilibet doctor nostri collegij antedicti, presentans scolarem subiciendum examini alicui privato, teneatur et debeat curare et facere cum effectu, et omni exceptione remota, quod scolaris, per eum presentandus, presentet, finito examine, priori collegij qui pro tempore fuerit, loco exenij vini et confectionum, unum ducatum auri doctori, et similiter priori, in privato; et in publica unum anulum priori valoris viginti soldorum bon. et biretum et cirotechas valoris decem soldorum bon. In publica vero doctorj, seu doctoribus, sub quo vel sub quibus fuerit promotus, ac etiam doctori, qui in eius publica pro licentia fecerit. Et si dicto priori dictum exenium non fuerit sibi

presentatum, ut supra dictum est, quilibet doctor presentans teneatur exenium sibi presentare [et] domino priori trasmittere, vel simile infra duos dies post examinationem scholaris, et nichilominus incidat penam centum soldorum bon.; mandantes quod contra predicta, vel aliquid predictorum in presenti constitutione descriptorum, per petuo dispensari non possit, sub pena periurij, et nichilominus, si contrarium fieret, ipso jure sit nullum.

Quod nullus possit legere de mane medicinam nisi sit bononiensis verus, ut supra – Rubrica [X.]

Constituimus et ordinamus quod doctores bononienses, ut supra, possint legere in scientia medicine in Civitate Bononie, quacunque hora, libros ordinarios, ordinatos et ordinandos per eos ad quos spectat, horis consuetis, prout de eorum processerit voluntate. Et quod dicti doctores, vel aliquis eorum, non audeant vel presumant loco eorum, vel alterius eorum, subrogare aliquem ad legendum, vel permittere legere ordinarie dictos libros in scientia medicine, qui non sit collegiatus, ut supra, nec patiatum quod aliquis subrogetur, vel pro eo legat, sub pena decem librarum bon. Quam penam si non solverit infra octo dies post mandatum dominj prioris, ipso jure et facto sit privatus, et esse intelligatur, de collegio, donec solverit dictam penam. Et quod nullus, qui non sit collegiatus, ut supra, audeat vel presumat legere in dicta Civitate de mane dictos libros; et quod doctores procurent toto posse suo, quod constitutio presens jnviolabiliter observetur.

De modo et forma elligendi notarium et bidellum et quid notarius et quid bidellus facere teneantur – Rubrica [XJ.]

Cum jnsurgat necessitas propter peragenda negotia dicti collegij, notarium specialem ac Bidellum specialem habere, qui officia limitata habeant et habere debeat, et cum omnis labor optet premium, hac nostra constitutione providemus, ordinamus et firmamus quod in quacunque electione fienda de notario et bidello antedicti collegij hic modus et forma debeat observari, videlicet quod dominus prior collegij, qui pro tempore fuerit, post mortem vel ca[s]sationem presentis notarij, vel bide[l]li, vel alterius notarij, vel bidelli, qui pro tempore fuerit, infra terciam diem debeat notificare et jntimare doctoribus dicti collegij, et in dicto collegio, qualiter necessarium et opportunum est, procedere, et ad [463] ellectionem notarij novi, seu Bidelli, secundum quod casus acciderit. Et quod quilibet doctor, qui sciret vel cognosceret aliquem ydoneum et sufficientem ad dictum officium vacans exercendum, debeat nomen et pronomen et cognomen in scriptis dare dicto domino priori, dumtamen talis sit homo bone conditionis et fame et civis civitatis Bononie, origine propria et paterna, maior viginti quinque annis, bonus, sufficiens et ydoneus notarius, in societate notariorum civitatis bononie descriptus ante per quinque annos, et artem notariatus bene et legaliter publice exercuerit et exerceat. Et Bidel[l]us sit civis civitatis bononie ratione originis proprie, et homo bone conversationis, vite et fame, et maior viginti quinque annis, sub pena doctori, danti nomen alicuius contra formam predictam, viginti soldorum bon; a qua pena ratione ignorantie aliquo modo se non valeat excusare, retinenda per priorem collegij antedicti, qui pro tempore fuerit, et dividatur inter doctores dicti collegij principaliter incorporatos, ut supra. Qui dominus prior infra octo dies post notificationem predictam teneatur et debeat, sub pena quinque librarum bon., retinenda per priorem subsequentem, vel eius vices gerentem et dividenda inter dictos doctores, facere congregare collegium antedictum et in dicta congregatione publicare omnia nomina sibi data in scriptis per dictos doctores, vel eorum alterum, et proponere quis eorum videtur dicto collegio et doctoribus sufficientior et ydoneor ad dictum officium vacans exercendum. Et ille qui plures voces habuerit, secundum quod fit in ellectione prioris, sit et esse intelligatur dicti collegij officialis et ad dictum officium, de quo agitur, exercendum, et ellectio que reperiatur facta contra vel preter formam predictam, et de persona que non sit condicionis et

qualitatum predictarum, ipso jure sit nulla. Ac etiam comoditatem aliquam vel beneficium percipere non valeat neque possit notarius et Bidellus ellectus secundum formam predictam; ac etiam notarius et bidellus, qui nunc est, teneatur jurare in manibus dominj prioris, qui pro tempore fuerit, ad omnem requisitionem dicti domini prioris, eorum officia bene et diligenter et sollicite et sine aliqua fraude et malicia exercere et administrare, et parere et obedire eidem domino priori et doctoribus collegij antedicti in his que spectant ad eorum offitia, et in omnibus licitis et honestis. Offitia vero dictorum notariorum et Bidelli volumus esse in hac forma, videlicet quod notarius dicti collegij, qui nunc est, vel, pro tempore fuerit, teneatur et debeat scribere et in publicam formam redigere in cartis pecudinis et edinis omnes presentes constitutiones et de ipsis facere duas copias, quarum copiarum una claudatur et sigilletur sigillo collegij doctorum predictorum et deponatur ad perpetuam rei memoriam in sacristia et penes sacristiam fratrum minorum de Bononia, allia vero remaneat et remanere debeat penes notarium dicti collegij, vel penes priorem collegij, qui pro tempore fuerit, et continue ad requisitionem prioris, qui pro tempore fuerit, una cum doctoribus dicti collegij interesse, et scribat in libro suo, quem penes se debeat retinere, omnia et singula actanda et fienda per dictum dominum priorem et doctores ipsius collegij ad dictum collegium spectantia et pertinentia, et loca congregationum, annum, mensem, et diem et fabas dare albas et nigras predictis doctoribus, quando partita ponuntur per dictum priorem et habere unum Busolum in quo debeant poni et stare fabe, que dantur per prelibatos notario. Quem busolum debeat habere et retinere in manibus antiquior doctor dicti collegij separatim a doctoribus collegij antedicti; et postquam fabe fuerint numerate per priorem [464] collegij antedicti, vel vices gerentem, scribere numerum dictarum fabarum et quicquid obtentum fuerit, et in dicto collegio scribere, et redigere omnia que fient, et etiam scribere omnes ellectiones priorum dicti collegij et officialium ipsius ad omnes et singulos actus congregationis et congregationum factos et fiendos et gestos et gerendos per priorem predictum et collegium, et subscribere in dicto libro, prout processerit de voluntate dicti domini prioris, et generaliter omnia et singula facere et exercere, que videbuntur utilia vel necessaria et opportuna fieri pro collegio prelibato et doctoribus ipsius, juxta ipsius notarij possibilitatem. Bidellus vero predictus eo modo et forma teneatur et debeat ad requisitionem prioris, qui pro tempore fuerit, collegium dictorum doctorum et doctores ipsius collegij requirere ad congregationes fiendas et ibidem interesse continue in horis sibi impositis, iniunctis et iniungendis, et imponendum et iniungendum per priorem predictum. Et ad omnem locum accedere una cum dicto priore et collegio doctorum ipsius totiens quociens fuerit necessarium et opportunum ad omnem alium locum pro libito voluntatis dicti domini prioris et collegij doctorum predictorum, et generaliter omnia et singula facere, dicere et exercere et adimplere, ac cum effectu mandare, que fuerint sibi iniuncta, ut supra, et condempnari possit vel possint notarius et bidellus et quilibet ipsorum per priorem, qui pro tempore fuerit, incontinenti post quinque dies, videlicet notarius usque ad quantitatem viginti solidorum bon., nisi aliqua iusta et rationabilis causa intervenerit, que debeat probari vel improbari per dictum priorem una cum duobus doctoribus dicti collegij, quos elegerit dictus dominus prior, qui pro tempore fuerit; et Bidellus in quindecim soldos bon., nisi iusta causa intervenerit, approbanda, ut supra. Salaria autem sua debeant esse tanta in hac forma, videlicet quod notarius dicti collegij, qui nunc est, vel pro tempore fuerit, habeat et habere debeat a quolibet scolari cive libras quatuor bon., a forense vero, cuiuscunque status et conditionis existat, transire volenti ad privatum examen in medicina viginti soldos bon., et in publica viginti soldos bon. Et quod nullus doctor dicti collegij aliquem ex predictis debeat presentare ad aliquod publicum vel privatum examen, nec aliqua insignia doctoratus dare, nisi prius satisfecerit notario vel Bidello, prout superius est scriptum, sub pena cuilibet doctori, venienti contra predicta vel aliquid predictorum, quinque librarum bon., applicanda collegio antedicto et dividenda ut supra. Et quod aliquis ex doctoribus dicti collegij non debeat interesse examinationi ipsius conventuandi, sub pena quadraginta soldorum bon., applicanda et dividenda, ut supra, nisi satisfactum fuerit dictis Bidello et notario, ut superius, et hoc pro honore dicti collegij conventuandi.

Qualiter prior antiquus teneatur assignare statuta et sigillum priori novo – Rubrica [XI.]

Constituimus et ordinamus et firmamus quod constitutiones et sigilli nostri collegij debeant esse penes priorem dicti collegij, qui pro tempore fuerit, quas constitutiones et sigillum teneatur dictus dominus prior statim in choadunatione, quam primo fieri fecerit novus prior, reassignare sequenti priori et ipsam registrationem facere scribi et registrari in actis notarij dicti collegij ut sic possint esse salve perpetuo, sub pena decem librarum bon. priori obmitenti facere predicta, vel aliquid predictorum, exigenda et [465] dividenda inter collegium; et si contingerit perdi dictas constitutiones et sigillum, infra unum mensem, omni exceptione remota et reiecta, facere exemplare de novo dictas constitutiones ad exemplum illarum, que erunt in sancto francisco, scilicet in sacristia fratrum minorum, omnibus suis expensis, manu notarij collegij prelibati, et facere fieri sigillum tale ut est illud, quod habet ad presens dictum collegium, omnibus expensis prioris predicti qui non reassignaverit dictas constitutiones et sigillum, omni exceptione cessante, sub pena viginti quinque librarum bon. exigenda et dividenda ut supra. Mandantes insuper quod nullus tante temeritatis vel audacie sit, qui audeat vel presumat sigillare sigillo dicti collegij aliquam literam sine licentia maioris partis doctorum collegij predicti, de qua licentia constet per acta dicti notarij dicti collegij, sub pena perpetue privationis de dicto collegio ipso jure et facto, et nichilominus pena viginti quinque librarum bon. priori collegij, penes quem fuerit dictum sigillum, nisi expresse sua ignorantia probet.

De honore fatiendi per doctores collegij quando aliquis doctorum dicti collegij migraverit – Rubrica [XII.]

Constituimus et ordinamus quod, si contingat aliquem doctorem nostri collegij migrare de hoc seculo, et eius Corpus sepelli in civitate Bononie vel suburbis, quod dictus prior, qui pro tempore fuerit, teneatur dictum collegium facere congregari per numptium seu Bidellum dicti collegij in loco, seu locis, in quo, seu quibus, eidem domino priori videbitur pro minori incomodo ipsorum doctorum. Qui doctores dicti collegij sic coadunati, teneantur dictum dominum priorem sociare ad dictum funus in eundo et redeundo et tempore quo fit sermo, et a dicto loco ad dictum locum congregationis cum caputis foderatis de vario, nisi ratione pluvie vel caloris aliud suadetur, nisi justa causa impedimenti, respectu persone vel casus fortuiti, aliquem ex dictis doctoribus excusaverit. Que causa excusationis proponi et declarari debeat clare et aperte coram domino priore predicto et approbari vel improbari per dictum priorem; declarationi cuius dominus prioris stetur omnino; adhicentes quod dictus dominus prior si ad hoc per atinentem dicti defuncti, vel pro eorum parte, fuerit requisitus, quod ipse dominus prior teneatur et debeat mandare unum ex doctoribus dicti collegij, quem dicti doctores elligerint, seu de quo fuerint contenti, vel alij ex dictis doctoribus, quem dictus prior elligerit, quod debeant facere sermonem comendando ipsum doctorem defunctum, secundum modum actenus observatum, ad domum solite habitationis defuncti post ipsius exequias; et ille, cui sic mandaverit, teneatur obedire dicto domino priori et dictum sermonem facere, ut supra, sub pena perurij et decem librarum bonon. cuilibet contrafacienti et pro qualibet vice, comitenda et exigenda ut supra. Et si dicti atinentes defuncti non elligerint unum ex doctoribus dicti collegij tunc dicti doctores non teneantur ire neque stare ad dictas exequias, nisi per priorem collegij aliter fuerit ordinatum. Et si contingat aliquem doctorem dicti collegij non velle facere dictum sermonem, quod expensis dicti collegij solvatur uni valenti viro, qui dictum sermonem faciat. Et predicta omnia debeant inviolabiliter observari per omnes et singulos [466] doctores dicti collegij, sub pena ipsi priorj, qui fecerit contra predicta vel aliquid predictorum, librarum quinque, et cuilibet alteri doctori librarum trium bon. Quas penas ipsi contrafacientes incurrant, et exigantur et dividantur ut supra. Idem etiam volumus observari circa funus patris vel matris, fratris vel filij alicuius doctoris nostri collegij, nisi de sermone, sub eadem pena. Et etiam intelligimus et observari volumus de notario et Bidello collegij predicti, sub eadem pena, nisi de sermone.

Qualiter debeant solvere fratres, filij et nepotes doctorum in jntroitu collegij – Rubrica [XIII.]

Statuimus et ordinamus quod fratres et filij, nepotes doctorum dicti collegij, doctorati in dicta scientia possint per doctores dicti collegij in ipso collegio agregari cum salario et ordine consueto, etiam numero completo corporatorum et supernumerariorum, [dum tamen, eo casu quo collegium corporatorum et supernumerariorum] seu collegiatorum esset completum juxta formam constitutionum de hoc loquentium seu disponentium, ipse filius, frater vel nepos, dicto collegio congregatus per ipsos doctores, loco, ordine et privilegijs supranumerariorum habeatur et esse censeatur, non obstante aliqua constitutione juris.

De gratia fatienda pauperibus scolaribus in examine et conventu omni anno – Rubrica [XV.]

Insuper misericorditer compensantes cum sint quandoque in nostro studio aliqui pauperes suficientes in nostra scientia et propter paupertatem non valeant promoveri, ne eorum scientia, inremunerata permaneat, statuimus et ordinamus quod omni anno duo scolares pauperes, unus in physica et alter in cirusia, possint et debeant examinari private et publice in physica et cirusia private et poni in matricula perfectorum cirusicorum, secundum constitutiones de hoc loquentes, nullo salario a scolaribus supradictis per doctores dicti collegij et eorum notario et Bidello percepto. Et quod quilibet doctor debeat interesse tali vel talibus promotionibus vel examinationibus privatis, vel publicis, sub pena quinque librarum bon. pro qualibet vice et cuilibet contrafacienti exigenda, et dispensanda et applicanda collegio antedicto nisi legitimum dederit causam, approbatam per dictum dominum priorem et collegium. Que paupertas probetur et proprobari debeat coram domino priore et duabus partibus collegij; quibus omnibus probatio talis juridice constet. Et si unquam [acciderit] quod talis vel tales scolares juraverint falsum, incidant in penam periurij, nec tales intelligantur licentiati nec conventuati, nisi aliter fuerit dispensatum per doctores collegij quod ipsi teneantur dare collegio nostro salarium consuetum. Et similiter doctori suo vel doctoribus, sub quo, vel sub quibus, promoti sunt.

De modo et forma dandi punta scolari et in quo loco – Rubrica [XVI].

Item statuimus quod si aliquis voluerit promoveri in medicina, primo, convocato collegio medicorum per Bidellum generalem de mandato prioris, debeat de mane recipere [467] punta in sancto Petro a domino Archidiacono, vel eius vicario et a priore nostri collegij in libro tegni galeni, pro prima lectione et in libro anforosimorum secundo, pro secunda lectione, presentibus omnibus doctoribus aut duabus partibus dicti collegij, in loco deputato sedentibus cum dicto domino Archidiacono, vel eius vicario. Et quod nullus doctor medicine sedere debeat in dicto loco, nisi fuerit de collegio medicine vel loco Archidiaconj, etiam cum desistentia a puntis dandis, sub pena cuilibet contrafacienti pro qualibet vice decem librarum bon., sub pena priori non prohibenti, viginti soldorum bon., et cuilibet doctori quinque librarum bon. In vesperis vero decretorum veniat ad examen ad locum deputatum in sancto Petro, et primo legere debeat pro prima lectione textum totum punti dati libri tegni galieni, deinde, bene dividendo, versificando et exponendo testum sine instantijs et similiter de secunda lectione Amphorisimorum ypocratis, salvo quod comentum galeni solum exponendo et dividendo procedat; lectis lectionibus, arguant doctores seriose et ordinate, incipiendo a juniore in collegio usque ad ultimum seniore donec omnes dicserint, excepto doctore, vel doctoribus, super quo, vel quibus, promovetur, et hoc super prima lectione; et cum unus doctor arguit, [debeant] omnes alij sub silentio pacifice allium audire et scolarem sic respondentem, ut unus allium non impediatur. Qua responsione tradita, possint, si vellint, de narratis et dictis simul conferre; super secunda lectione solus prior et antiquior de collegio teneatur arguere et prior habeat potestatem

imponendi silentium quodcumque placuerit, sub pena contrafacienti duodecim soldorum bonon. Quibus peractis et completis, absente scolare et doctore presentante, seu presentatibus, debeant doctores eorum intentionem scribere secrete, et quilibet eorum suo sacramento, et illa porrigere domino Archidiacono, vel vices eius tenenti. Insuper etiam teneatur quilibet doctor dicti collegij ad mandatum domini prioris, qui pro tempore fuerit, incontinenti dare in secreto approbationem cum faba alba, et reprobationem cum faba nigra, notario dicti collegij, ut domino Archidiacono tradiderit in scriptis vel eius vicario. Et quod notarius, sub pena prestiti sacramenti et privationis officij et decem librarum bon., debeat relationem facere incontinenti domino priori et consiliarijs de approbatione vel reprobatione dicti scolaris secrete, et ostensione etiam fabarum, et ponere in scriptis in quaterno deputato. Et si quis contra predicta vel aliquid predictorum contrafecerit, condempnetur de facto per dominum priorem Collegij, prout sibi videbitur, usque ad quantitatem centum soldorum bon. ad plus, que pena dividatur, ut supra.

Statuimus et ordinamus quod nullus doctor nostri collegij possit vel debeat associare aliquem scolarem civem vel forensem ad privatum examen in medicina, nec ad privatum, in eundo et redeundo a dicto examine, nisi essent doctor vel doctores presentans vel presentantes, nisi presentatus sit Rector scientie medicine, et nisi scolaris predictus foret filius, vel frater, vel nepos alicuius doctoris nostri collegij, quibus casibus possint tunc doctores accedere ad dictum examen predicti scolaris, vel nisi natus esset de domo, vel progenie, ex aliquo de domo, vel progenie, alicuius doctoris nostri collegij; quo casu ille doctor, seu doctores de dicta progenie, possit vel possint sociare dictum scolarem; et quod magistri petant licentiam a domino priore si volunt associare eum, sub pena viginti soldorum bon., nisi in casibus predictis, cum hoc sit contra honorem collegij et damnosum scolari propter expensas quas oportet facere occasione predicta.

Quod nullus doctor nostri collegij, nisi presentans, possit associare scolarem ad examen – Rubrica [XVI].

[468] Statuimus et ordinamus quod scolaris veniens ad examen et volens licentiam publicam, ea die, qua examinatus fuerit, teneatur satisfacere Priori collegij, qui pro tempore fuerit, quod infra duos menses suas dignitates capiet, ita tamen quod nullus doctor nostri collegij possit pro ipso scolari licentiando fideiubere ad penam viginti quinque librarum bon. ipsi doctorj fideiubenti; que pena debeat infra mensem per priorem exigi. Ita tamen quod fideius[s]or sit mercator, vel alia persona sufficiens, de cuius sufficientia nostro collegio constet et domino priori. Adhucientes quod quilibet scolaris promovendus, civis vel forensis, possit accipere doctorem, vel doctores, quos voluerit; dignitatem autem recipere debeat publice in cathedra magistrali Ecclesie Bononie, secundum ordinem consuetum, cum publico conventu.

De licentia danda scolari in examine et quantum pannum debeat dare scolaris doctori et cuius precij – Rubrica [XVII].

Statuimus et ordinamus, quod quilibet scolaris promovendus in scientia medicine teneatur, tempore sue publice, vel in sua publica, dare doctori, sive doctoribus, sub quo, vel quibus, fuerit promotus, ipsi vel cuilibet ipsorum, octo brachia pannj. Intelligatur autem de eo panno de quo dictus doctorandus in sua publica se induet, ita tamen quod dictus doctor, sive doctores, predictus vel predicti, teneantur se de ipso panno induere cum predicto scolari vel scolaribus predictis. Et si contingat eum promoveri per duos doctores, non possit induere unum sine alio; et teneatur ambos induere de eodem panno. Declarantes quod nullus doctor presentans possit venire ad sanctum Petrum indutus cum doctorando, ad publicam alicuius doctorandj sine alio vel alijs presentantibus, induto vel indutis, sub pena cuilibet doctori contrafacienti viginti quinque librarum bon. exigendarum et applicandarum, ut supra, et privationis collegij; a qua privatione non possit restitui, nisi prius satisfecerit doctorj vel doctoribus, sub quo vel sub

quibus fuerit promotus. Qua satisfactione facta, possit reponj, cum consensu maioris partis collegij, ad dictum collegium, scrupitino celebrato cum fabis albis et nigris. Et quod dictus promovendus in eius privata teneatur satisfacere doctori vel doctoribus, sub quibus promovetur, de salario eis statuto in dicta publica, ut supra. Adhicientes quod si contingat aliquem ex doctoribus nostri collegij, de his, qui scolarem presentaverint, absentes esse, de cuius reddito non speretur infra quindecim dies, a die qua promovendus publice priori collegij predicti dixerit se publice velle promoveri, vel defunctum, dum tamen non sit absens alicuius cure occasione, vel infirmitatis vel rei publice causa, quod tunc, et eo casu, scolaris predictus promovendus solvere teneatur collegio predicto libras decem bon. distribuendas inter doctores dicti collegij loco absentis vel defuncti. Si vero pro suo honore induere voluerit unum ex doctoribus dicti collegij, aut plures, ex quibus fuerit promotus loco absentis vel absentium, tunc, et eo casu, teneatur dare illi doctorj, vel illis doctoribus, cui, vel quibus, voluerit, octo brachia pannj precij quadraginta soldorum ad minus pro quolibet brachio [469] et pro quolibet doctore, ita tamen quod talis doctor, vel doctores, teneantur dare libras sex bon. pro quolibet doctore medicine. Qui doctor sic indutus loco defuncti vel absentis, solvere teneatur dicto collegio sex libras bon. loco absentis presentantis scolarem predictum vel defuncti.

**Quod nullus possit nec audeat mederi in physica nec in cirusia sine licentia – Rubrica
[XVIII].**

Advertentes quod, cum ipse homo intellectu et bonitate participet, Deo amantissimus esse videtur (Aristoteles, etiquorum decimo), et plus ceteris universi ipsi Deo et supernis intelligentijs redditur uniformis, cum ad eius imaginem sit creatus, qui est subiectum circa quod scientia medicine versatur, cuius proprieta[te]s et passiones considerans plus ceteris scientijs (Avicena, prima primj de subiectis medicine), ut etiam tollantur scandala bonorum medicorum et evidentia pericula graviora, que circa tale nobilissimum subiectum per ignaros medicos actenus sunt secuta, volumus jnviolabiliter observari quod nullus forensis, vel civis, sive cuiuscunque conditionis existat, audeat, vel presumat exercere vel operari praticam medicine, vel aliquam ad dictam scientiam medicine spectantem in civitate Bononie, comitatu, vel districtu, nec consilium dare in dictis scientijs alicui, nisi saltim tribus annis dictam scientiam, vel partem eiusdem, audiverit sub magistro publice legente medicinam secundum sedes ordinarias in studio Bononiensi, vel in aliquo alio loco, in quo generaliter Studium vigeat, de quo plenam habeat informationem prior nostri collegij cum consiliarijs per priorem collegij civitatis famose, in qua studium erit, vel saltem per tres testes fidedignos. Et cum hoc licentiam habeat operandj in dicta scientia, vel parte, a priore et consiliarijs dicti collegij Bononie, sub pena cuilibet contrafacienti pro qualibet vice librarum quinqueginta bonon. applicanda, ut supra. Adhicientes etiam quod nullus audeat operare praticam physice facultatis, nisi fuerit examinatus, licentiatu et approbatus per doctores physice facultatis civitatis Bononie, sub pena cuilibet contrafacienti pro qualibet vice centum librarum Bonon. applicanda, ut supra. Adhicientes quod quilibet possit accusare contrafacientes quoslibet publice vel private, et habeat de dicta pena ducatos decem aurj. Et quod potestas Bononie teneatur et debeat inquirere de predictis et delinquentes punire, ut supra. Jnsuper etiam statuimus quod nullus, cuiuscunque facultatis existat, audeat nec presumat vendere, tradere, vel administrare quovis modo aliquam medicinam simplicem, vel compositam, lasativam, in omni genere lassandj, oppiatam, vel soniferam, digestivam, causticam, vel corusivam, stupefativam aut venenosam in omni genere venenorum, abortivam vel quomodolibet aliter perniciosam, nisi de voluntate et consensu doctorum dicti collegij et precepto prioris cum uno de core[c]toribus societatis apotecariorum, sub pena cuilibet contrafacientj pro qualibet vice librarum quinquaginta bon., exigenda et applicanda ut supra; nichilominus puniatur tribuens secundum formam juris, ubi aliquid acidens vel morbus ex tali receptione incurrerit. Et quod quilibet possit acusare et publice vel private, et habeat de dicta pena decem ducatos aurj.

De salario dando collegio pro examine et pro conventu – Rubrica [XX.]

[470] Item statuimus quod quilibet qui promoverj voluerit ad examen medicine teneatur in privato examine dare et solvere collegio medicorum, pro salario doctorum eiusdem, libras novem Bon., in eius publica sex libras Bon. Que pecunia, tam in privata quam in publica, deponi debeat penes notarium, vel Bidellum dicti collegij, equaliter dividenda per eos, vel alterum eorum, inter doctores dicti collegij.

Quod doctores teneantur alter alterum onorare – Rubrica [XXI.]

Item quod, apud vulgum et in locis in quibus doctores nostrj collegij [conversant], alter alterum se invicem debeant honorare, et remove infamias toto posse, sub pena superius contenta.

De forma tenenda in examine cirusie – Rubrica [XXII.]

Insuper statuimus et ordinamus, ut in examinibus cirusicorum modus limitetur et ordo, quod ille, qui examinarj debet in cirusia, primo recipiat punta de mane a priore et doctoribus physice facultatis tantum pro prima lectione super tercia parte fen quarti canonis Avicenne, et pro secunda lectione super prima parte cirusie Bruni. Et quod in vesperis decretorum veniat ad examen; in quo examine intersint omnes doctores nostrj collegij; et primo debeat legere bene et puntare testum unius bone lectionis, postea dividere, versificare, sentenciare dictum testum, et similiter de secunda lectione. Et quod quilibet doctor, vel maior pars eorum, teneatur arguere uno argumento tantum et unica replicatione in prima lectione; super secunda lectione vero eodem modo fiat. Et dicta examina fiant in sancto Salvatore, ut consuetum est, et non in Ecclesia cathedralj propter multa scandala evitanda.

De salario solvendo pro examine cirusie – Rubrica [XXIII.]

Item qui promoverj voluerit ad examen cirusicorum teneatur solvere toto collegio decem libras bon., et notario et Bidello generali dicti collegij pro quolibet examine ipsorum soldos decem bon.

De forma privilegij dandi cirugicis – Rubrica [XXIII.]

Ob rem publicam et [ut] unicuique proficiat labor suus, iuxta vivacem Casiodorj sententiam, et ut melius studium vigeat et scolares animentur ad dictum studium et profectum, et ut omnes ad scientiam et doctrinam proncius et perfectius disponantur, et ut etiam scandala tollantur, que actenus sunt secuta ex impericia cirusicorum, ideoque cum nutriant premiorum exempla virtutes, prior et collegium physicorum, mature deliberans, providum et discretum virum atque fide dignum Magistrum quondam, de [471] talibus, vel de tali loco, aprobatum in pratica cirusie, quo ad omnem suj partem, in matricula cirusicorum constituit perfectorum, licentiam, arbitrium et potestatem tribuentes eidem, ut hic et ubique locorum artem cirusie valeat exercere; ad quorum omnium evidentiam clariorem presens privilegium scribi mandaverunt per notarium medicorum dicti collegij, et sigilli dicti collegij Bononiensis appositione munirj.

De his qui possunt legere practicam physice facultatis – Rubrica [XXV.]

Constituimus et ordinamus etiam quod pro honore studij Bonon. et pro utilitate scholarium in medicina studentium et ad utile et ad bonum publicum, quod nullus doctor physice facultatis, civis vel forensis, audeat vel presumat legere practicam medicine, nisi fuerit doctoratus in Civitate Bononie, vel alibi in famosissimo studio, et legerit et praticaverit in dicta scientia per spatium trium annorum ad minus postquam doctoratus fuerit, de quo plenam faciat fidem nostro collegio. Item quod nullus possit, audeat, vel presumat, de quo plenam faciat fidem nostro collegio. Item quod nullus possit, audeat, vel presumat legere in scientia medicine Bononie, tam in physica quam in cirusia, nisi fuerit doctoratus in eadem scientia medicine, videlicet in physica, sub pena quinquaginta librarum bon., applicanda pro tertia parte domino potestati et pro tertia parte sancto Petronio, et pro tertia collegio nostro. Adhicientes etiam quod nullus, cuiuscunque conditionis existat, audeat vel presumat preponj vel facere se preponj, ad aliquam lecturam, nisi primo fuerit doctoratus, sub eadem pena, exigenda per dominum potestatem vel priorem collegij nostri, applicanda modo predicto. Et ipsa ellectio ipso facto sit nulla. Et si Rector atemptaverit contra hanc nostram constitutionem, ipso facto privetur omnj comodo eidem per nostras constitutiones concessio.

De lecturis dandis per doctores medicine – Rubrica [XXVJ.]

Statuimus et ordinamus quod omnes lecture ordinarie, vel extraordinarie in medicina de mane et in nonis, salariatae per Comune Bononie, debeant per doctores collegij physice facultatis contribui doctoribus bonis et sufficientibus, qui jurabunt corporaliter ad sancta dei evangelia, manu tactis scripturis, priorj prefati collegij, eligere in dictis lecturis doctores meliores, ydoneos et magis perfectos pro scholaribus et pro honore studij Bononie, servata tamen prius forma statutorum comunis Bononie.

Quod doctores physice facultatis de nostro collegio possint operari in cirugia – Rubrica [XXVIJ.]

Constituimus etiam quod omnes et singuli doctores de collegio physice facultatis, et qui de ceptero admitentur ad predictum collegium, qui voluerint legere aut praticare in arte cirugie, sint et esse intelligantur de matricula perfectorum cirusicorum, nullo alio examine vel scrutinio eis impenso, et valeant et possint legere et praticare in arte cirusie hic et ubique locorum; huic autem adiungimus sanctioni quod nullus, qui in matricula cirusicorum tantum fuerit constitutus, audeat vel presumat infirmos curare in physica, sub pena cuilibet contrafacienti pro qualibet vice librarum quinquaginta bon., exigenda per dominum potestatem bononie, vel eius vicarium, cuius medietas applicetur comuni [472] bononie et allia medietas collegio physicorum. Et quilibet possit acusare palam et clandestine et habeat libras decem bon. de dicta pena. Et nichilominus teneatur talis cirusicus, qui infirmos curabit in physica, si aliquis de dictis infirmis moriretur in dicta cura, perinde ac si fuisset causa mortis ipsius. Et teneantur etiam consiliarij et massarij et singuli doctores de nostro collegio, et hoc plenarie, facere inquisitionem; et quod dominus potestas bononie teneatur ex suo officio contra tales procedere secundum formam dicti statuti. Et quilibet possit acusare clam et palam et tenebitur in secreto.

De modo et forma fatiendi sermonem generalem in principio studij – Rubrica [XXVIIJ.]

Insuper statuimus et ordinamus quod in principio studij facultatis medicorum antiquior doctor, qui fuerit electus ad sedes ordinarias salariatas de mane, primo sermonizarj debeat sermone universalj pro toto studio physice facultatis, quod nullus alius doctor cuiuscumque facultatis audeat vel presumat universalem sermonem alium facere in dicta facultate. In sequenti vero anno sermonizari debeat alius doctor, qui ad sedem de mane ordinariam salariatam electus fuerit. Tertio autem anno sermonizari debeat, modo quo supra, qui electus fuerit ad sedem practice salariatam in vespere physice facultatis. Et sic inter illos tres ordo sermonizationis servetur et modus. In logica vero et phylosophia ordinamus [quod], qui electus fuerit ad sedem salariatam logiche de mane, in logicha sermonem debeat facere, et qui in phylosophia electus ad sedem salariatam, in philosophia sermonizarj debeat in vesperis decretorum. Qui vero in astrologia electus fuerit ad lecturam salariatam, sermonizarj debeat in primis vesperis, Gramaticus vero de mane. Reticus vero, qui electus fuerit ad sedem retoricæ salariatam, sermonizarj debeat in nonis. Ita tamen quod nullus de dictis sermonizantibus sermonizari debeat nec concurrere in sermone suo eadem die vel hora, in qua sermonizatus fuerit doctor physice facultatis. Et quod omnes doctores qui fuerint electi ad sedes salariatas in medicina, aut qui legerint ordinarie vel extraordinarie in medicina, debeant interesse dicto sermonj, sub pena cuiuslibet contrafacientj in omnibus et singulis casibus predictis viginti soldorum bon., applicanda nostro collegio in quo delinqui contingerit.

De modo et forma faciendi sermonem in publicis dandis – Rubrica [XVIIIJ.]

Constituimus et ordinamus ut modus servetur et ordo in sermonibus et promovendorum licentia, quod antiquior doctor illius membri collegij in quo promovendus voluerit promoverj, teneatur et debeat sermonizari in publica sua et illi [dare licentiam in publica dicte facultatis de mandato domini. Archidiaconi totius] studij Bononie, primo ex relatione Magistrorum, secundo, et sic successive, discendendo per omnes doctores usque ad minorem. Salvo quod si aliquis doctor fuerit absens, vel quomodolibet aliter jmpeditus, vel vacare non potuerit in dicto sermone, devolvatur ad subsequentem, licentia tamen prius habita a priore, et sic successive circulariter progrediendo. Et quod quilibet Magister, qui sermonizatus fuerit [et] licentiam dederit alicuj in una facultate tantum, pro suo salario teneatur habere et habeat unum ducatum aurj a dicto licentiatto.

De oblatione facienda per collegium in festo sancti luce – Rubrica [XXX.]

[473] Ad honorem et gloriam omnipotentis dei et gloriose virginis marie matris [eius] totiusque curie superiorum, nec non ad honorem et laudem Beatissimi et sanctissimj Luce Evangeliste et sanctorum Cosme et Damianj, statuimus et ordinamus quod omnj anno in principio nostri studij, sermone celebrato, teneantur et debeant festum facere cum tubis et timpanis et zalamella nostri collegij ac universitatis eiusdem singuli et omnes doctores utriusque membri collegij, medicorum videlicet [et] artistarum, et qui in matricula fuerint perfectorum cirusicorum omnesque scolares de universitate dictarum facultatum in Ecclesia Beati Luce, que est in porta de Castello, aut in Ecclesia sanctorum Cosme et Damianj, que est penes pontem de fero, aut in aliqua Ecclesia in qua fuerit alter alicuius sanctorum predictorum. Et quilibet doctor utriusque membrj collegij solvere teneatur soldos tres bon., et quilibet, qui fuerit de matricula perfectorum cirusicorum, solvere teneatur soldos duos bon. Et omnes et singuli scolares, qui de universitate vel matricula fuerint scolarium dictarum facultatum, solvere teneantur soldum unum bon., et cum duplerijs et candelis seriose et ordinate vadant ad dictum festum, servato semper ordine preposterioritatis inter omnes. Et quod Rector universitatis scolarium antecedit, et priores utriusque collegij sequantur, ipsum tenentes in medio in eundo et redeundo ad dictum festum. Qui tamen Rector et priores precipere faciant per Bidellos suos omnibus et singulis doctoribus cirusicis et scolaribus supradictis per unam diem antea, quod solvere teneantur Massario collegij physicorum predictas pecunie

quantitates, et pro duplerijs et candelis, vel alijs oblationibus fiendis supradictis Ecclesijs, dictam pecuniam debeant dispensare sub pena cuiuslibet contrafacienti soldorum decem Bon., nisi solverit, nulla acceptata excusatione vel defensione. Item statuimus quod quilibet magistrorum nostri presentis collegij physice facultatis, qui dignitates non habuerit in conventu, ad inefabilem medicine scientiam extolendam, illas possit assumere publice vel private, dumtaxat solverit cuiuslibet doctori prefati collegij quatuor soldos bon. et domino Archidiacono ac nostro priori cuiuslibet unum Biretum, cirotechas et anulum precij saltem viginti soldorum bon. Adiungentes et iniungentes quod quicumque doctor prefati collegij, qui dignitates non asumpserit vel habuerit, jnmunis erit a salario supradicto, scilicet inter habentes dignitates predictas tantum dictum salarium partiatur.

Quod nullus possit portare varium in capite per civitatem bononie, nisi fuerit doctor – Rubrica [XXX].

Statuimus et ordinamus quod nullus medicus de ceptero cuiuscumque conditionis et status existat, audeat vel presumat portare seu deferre varium jn capite in civitate Bononie, nisi sit doctor, sub pena decem librarum bon. cuiuslibet contrafacienti pro qualibet vice, applicanda pro tertia parte Comuni Bononie et pro tertia parte potestati Bononie, et pro tertia parte collegio predicto medicine.

Quantum debeat solvere rector collegio doctorum in publica sua – Rubrica [XXXIJ.]

[474] In Nomine dominj nostri yesu christi Amen. Anno Nativitatis eiusdem millesimo trecentesimo nonagesimo quarto Indictione secunda, die quintodecimo mensis maij, pontificatus dominj nostri dominj Bonifacij divina providentia pape nonj anno quinto. Congregato et coadunato venerabilj collegio doctorum scientie medicine de mandato Egregij medicine doctoris Magistri Iohanis de cazano, ad presens prioris dicti collegij, Magister Baldasar de confortis, Magister Iohanes de Muglio, Magister Franciscus Aristotilis, Magister Bartolomeus de Barberijs, qui doctores una cum dicto priore representant et soliti sunt representare totum dictum collegium scientie medicine, cum sint due partes et ultra omnium doctorum in Civitate Bononie existentium, maxime cum solus Magister Paulus de buvalinis ex existentibus in Civitate Bononie tunc ex iusta causa non interfuerit dicto collegio, ipsis prefatis doctoribus, sic ut premittitur, existentibus colegialiter et ad dictum collegium congregatis in sacristia cathedralis Ecclesie Bononie, ipsi Ecclesie contigua et con[n]essa, prefatus Magister Iohanes prior de ipsorum doctorum conscilio et assensu proposuit infrascripta, videlicet quod cum [h]actenus per statuta dicti collegij fuerit statutum et proinde ordinatum, quod quilibet, qui promoveri voluerit ad examen in scientia medicine, teneatur in privato examine dare et solvere dicto collegio medicorum pro salario doctorum eiusdem collegij libras novem bon. et in eius publica libras sex bon., cumque per eadem statuta fuerit ordinatum et statutum, quod pro honore rectoris scholarium universitatis medicorum et recumpensatione expensarum eiusdem de ceptero quicumque fuerit Rector dicte universitatis, volens promoverj in scientia medicine, in nullo teneatur salario doctoribus collegij medicorum in eius publica et privata, non obstante constitutione posita sub Rubrica *quid et quantum solvere debeat scholaris in publica et privata* etc., salvo quod pro expensis factis et fiendis in dicto collegio, volumus ipsos teneri debere solvere duchatos duos auri collegio medicorum, dispensandos inter doctores eiusdem collegij in privata dictorum rectorum. Cumque tempore, quo condita fuerunt dicta statuta, pauci reciperent insignia doctoratus, ym[m]o quasi nulli, et postea invaluerit consuetudo quod quasi omnes volunt dicta insignia recipere, propter quod doctores multum gravantur in stando in sancto Petro, cumque propter predicta cum magna concordia fuerit deliberatum, constitutum et santitum inter doctores dicti collegij jamdiu, quod quilibet cuiuscumque gradus, status preeminentie, dignitatis vel conditionis existat, et perveniens ad gradum doctoratus, seu Magisterij, in facultate prefata et volens insignia solita in dicta facultate sibi exhiberj et ipsa habere, teneatur

solvere doctoribus dicti collegij pro huiusmodi insigniorum receptione libras sex bon., ultra illas sex, quas pro publica solvere debet; de qua deliberatione, constitutione et provisione, licet facta fuerit scriptura, tamen ex defectu notariorum dicti collegij, qui pro tempore fuerunt, dicta provisio, seu constitutio, non reperitur, cumque etiam non nulli revocent in dubium an huiusmodi solutio fieri debeat per ipsos scolares, an non, et maxime per Rectores super eos, qui Rectores fuerint scolarium universitatis, maxime obstatente statuto de quo supra facta est mentio, et ipsi priori videat[ur] quod huiusmodi solutio per [475] eosdem scolares, etiam si fuissent Rectores, vel atualiter essent, fieri debeat per labores et tedia quos substinent doctores tempore quo dicta insignia prestantur, et propter perditionem temporis et commodum infirmorum, et hoc sit utile declarare et super hoc statutum condere et etiam ordinare; idcirco jdem prior petit per vos doctores super hoc quid fiendum sit utile consilium exiberj, qua propositione facta et multis consulentibus, quod fiat scriptura seu constitutio de hoc cum aliter fuerit facta eodemque priore cum dictis doctoribus et ipsi doctores una cum dicto priore super premissis ad invicem conferentibus et tractantibus per ipsumque priorem prefatum huiusmodi statuto faciendo vel non faciendo, posito partito ut hi, quibus placeret quod fieret statutum et constitutio hoc declarans, statuens atque firmans in forma infrascripta, ponerent fabas albas, hi vero, quibus displiceret, ponerent fabas nigras; demum per notarium infrascriptum ipsi[s] fabis datis dictis doctoribus et postea ab eis receptis, omnes reddiderunt et posuerunt fabas albas Raynaldo notario juxta morem solitum, et sic obtentum et firmatum fuit quod statutum et constitutio debeat fieri in forma infrascripta et ad perpetuam rei memoriam in volumine constitutionum et statutorum dicti collegij reddigi et describi. Et sic simul congregati dicti doctores, ut supra, dictus prior de voluntate dictorum doctorum, et dicti doctores de voluntate et consensu dicti prioris omnes unanimj consensu, eorum nemine discrepante, statuerunt et etiam provida deliberatione providerunt, firmaverunt atque constitutionem fecerunt, quod quilibet scolaris, sive civis, sive forensis, et quilibet alius cuiuscunque gradus, status preeminentie, dignitatis et conditionis existat, etiam si universitatis scolarium predictae facultatis Rector fuerit, vel si perveniens ad gradum doctoratus, sive magisterij, in facultate medicine, predicta volens insignia solita magistratus in ipsa facultate sibi exiberj et ea recipere et habere, teneaturolvere doctoribus dicti collegij pro huiusmodi insigniorum receptione libra sex bon. ultra quantitates, quas aliasolvere tenentur dicti doctorandj in publica et privata, dispensandas inter doctores collegij memorati, juxta morem [h]actenus observatum; pro quibus solvendis antequam doctores invitentur, teneantur facere depositum penes notarium dicti collegij; et nisi depositum factum fuerit, non possit prior facere invitari doctores. Et nullus doctor conventui, seu publice, talis qui depositum non fecerit, jnteresse possit, sub pena vigintiquinque librarum Bonon. priori et librarum quindecim Bon. cuilibet alteri doctorj, et Bidello collegij aliter invitantj, librarum decem Bon., quas quilibet, qui in dictam penam in[c]ideritolvere teneatur, infra decem dies postquam in dictam penam jnciderit, sub pena privationis a dicto collegio; ad quod reassumj vel admitti non possit nisi solverit duplum dicte pene et de commisso dicto collegio veniam pecierit. Et sic statutum, constitutum et firmatum et provisum fuit, ut supra, per omnes doctores dicti collegij, congregatos, ut supra, de quibus omnibus rogaverunt dicti prior et doctores notarium infrascriptum ut de predictis omnibus publicum conficiat jnstrumentum.

Acta fuerunt predicta bononie in sacristia predicta presentibus presbiteris Nicolao Bertolomei mansionario, et Francischo Landj capellano in Ecclesia Bononie predicta, ac Georgio Antonj de Sancto Angelo in Vado, clerico sacristie predictae, testibus ad predicta vocatis et rogatis.

[476] In nomine domini nostri Yesu christi, Anno nativitatis eiusdem Millesimo trecentesimo nonagesimo quinto, inditione tertia, die quintodecimo mensis junij, pontificatus domini nostri domini Bonifacij pape VIIIJ. Convocatis et ad Collegium invicem congregatis doctoribus scientie medicine Collegij eiusdem scientie Civitatis Bononie in sacristia ecclesie cathedralis sancti Petri Bononie, eidem ecclesie contigua et connexa, per Franciscum quondam nuntium et bidellum specialem dicti Collegij pro hac die et hora

et ad infrascripta peragenda de mandato sapientis viri magistri Anthonij de ferris, honorabilis prioris dicti Collegij, in qua congregatione interfuerunt ultra quam due partes doctorum et magistrorum dicti Collegij representancium et qui soliti sunt representare dictum Collegium, quorum doctorum nomina sunt hec, videlicet dictus magister Anthonius prior dicti Collegij, Magister Johannes de Cazano, Magister Baldexar de Confortis, Magister Martinus de Ricardis, Magister Petrus de Varignana, Magister Johannes de Mulio, Magister Franciscus Aristotiles, Magister Paulus de Calorijs, Magister Bartholomeus de Barberijs et Magister Guizardus Misini. Ipsi omnes doctores, sic ut premittitur, congregati, tanquam representantes Collegium doctorum scientie medicine Civitatis Bononie, suprascripta statuta ex alijs antiquis statutis et constitutionibus dicti Collegij per ipsos doctores extracta et etiam de novo facta et ordinata in presenti volumine, qui est cartarum undecim, descripta et sub debitis Rubricis seriose collocata, et omnia et singula in eis contenta unanimiter et concorditer tanquam Collegium antedictum, dicto magistro Johanne de Cazano dumtaxat excepto, qui ascentire noluit sed pocius contradixit, publicaverunt et approbaverunt ac etiam confirmaverunt et pro validis publicatis et approbatis per quenlibet cuius interest vel in futurum possit interesse haberi, voluerunt et decreverunt. Volentes ijdem prior et doctores ut collegium antedictum ipsa statuta, ut premittitur, de novo edita et ordinata et omnia et singula in eis contenta, et prout eorum tenor et forma disponit et in eis ordinatum est, inviolabiliter observari. Jnsuper predicti dominus prior et doctores suprascripti et ipsorum quilibet ut Collegium antedictum, dicto magistro Johanne de Cazano, ut premittitur, dumtaxat excepto, tactis scripturis, iuraverunt corporaliter ad sancta dei evangelia predicta statuta et omnia et singula in eis contenta perpetuo observare et adimplere, rogantes me Rainaldum notarium infrascriptum quod de premissis omnibus publicum confitiam instrumentum.

Acta fuerunt predicta Bononie in sacristia dicte ecclesie cathedralis sancti Petri Bononie, presentibus presbitero Johanne Rectore parochialis ecclesie sanctorum Jacobi et Philippi de Platisijs Bononiensi, Karolo quondam Fulchi de Argelata, cive Bon. et francisco.

(L. + S.) Ego Rainaldus natus Comacini de Formaglinis Civis Bononiensis, publicus jmperiali et Comunis Bononie ac curie episcopalis Bononie auctoritate notarius, publicationi, approbationi et confirmationi dictorum statutorum ac etiam prestationi dicti iuramenti et omnibus et singulis in suprascripta publicatione descriptis, dum sic, ut premittitur, agerentur et fierent presens fui, eaque rogatus scribere publice scripsi et subscripsi signumque meum solitum apposui in fidem et testimonium omnium premissorum et scripsi, subscripsi.

MCCCLXXXVIJ, inditione quinta, die trigesimo mensis martii presentata fuerunt suprascripta statuta medicorum et dimissa michi Jacobo infrascripto per M. Baldassarem de Confortis [477] priorem, ut asseruit esse, collegij medicorum phisice civitatis bononie ad Cameram Actorum populi Bononie, et dimissa penes Jacobum quondam Mathey de Blanchittis notarium suprascripte camere actorum predictae, presentibus Jacobo dominici de Castagnolo, Bertolutio Cippi Azonis notarii, testibus.

In Christi nomine amen. Anno Nativitatis eiusdem Millesimo Trecentesimo Nonagesimo sexto, Indictione iiii, die vigesimo sexto mensis octobris. Tempore pontificatus domini Bonifatij divina providentia pape noni. Magnifici et potentes dominj, domini Antiani Consules et vexillifer iusticie populi et comunis Bononie in eorum audientia secreta congregatj, sita in palatio eorum residentie una cum honorabilibus dominis de collegio Confaloneriorum et Massariorum artium dicti populi et comunis in sufficienti et legitimo numero, considerantes statuta doctorum scientie Medicine civitatis Bononie in Millesimo Trecentesimo septuagesimo octavo fuisse compillata de mense Junij et demum legitime confirmata et approbata per collegium doctorum predictorum et in eodem collegio tempore huiusmodi compillationis et confirmationis multos et quam plures doctores in scientia predicta ac moribus et consilio singulares et excellentes extitisse, per quos statuta predicta examinata et diligenter inspecta fuerint, et per quos, ut firmiter credendum est, provisum, statutum et ordinatum fuit omne id, et quicquid statuendum,

providendum et ordinandum erat in futurum pro honore et conservatione studij et doctorum scientie predicte, ac etiam pro utilitate congrua doctorum dicti collegij ac scientie prelibate et scholarium in ipsa scientia studentium et cupientium proficisci in eadem, considerantes quod etiam statuta predicta eodem anno Millesimo trecentesimo septuagesimo octavo fuisse legitime approbata per statutarios a comuni Bon. tunc deputatos viros excellentes, sicut ab experto ac etiam fama docuit, a quibus non est credendum talem approbationem processisse si statuta ipsa in aliquo defecissent, et quod in rebus novis statuendis evidens necessitas vel utilitas esse debet ut discedatur ab his, que diu equa visa et probata fuerunt et sunt, considerantes denique post predictam compillationem, confirmationem et approbationem statutorum a modico tempore citra non nulla fuisse ordinata, statuta et provisa per doctores collegij scientie prelibate, que, ut plurimum, tendebant potius ad utilitatem particularem aliquorum de dicto collegio et damnum et dedecus aliorum de collegio prelibato quam ad studij predicti seu universitatis utilitatem, inter que sic noviter compillata, provisa et ordinata reperitur, de anno Millesimo trecentesimo nonagesimo quinto, quedam provisio seu constitutio facta, continens in effectu quod nullus civis Bon. doctoratus vel doctorandus in scientia predicta possit, vel debeat, seu presumat legere lectionem ordinariam de mane nisi prius per spacium saltem duorum annorum ad minus legerit publice in scholis lectionem extraordinariam post prandium, sub pena perpetue privationis dicti collegij et honoris et utilitatis dicti collegij et alijs penis in eadem declaratis, de qua constat latius ex scriptura rogata per Johannem Martinj de Dugliolo notarium Cognoscentes quoque prefati Magnifici domini Antiani et dominj de Collegio predicto Confaloneriorum et Massariorum scandala et divisiones, que hactenus et de presentj orta et orte fuerunt et sunt inter doctores et scolares scientie [478] prelibate et in futurum verissimiliter orientur, si talis provisio et constitutio et non nulle alie que a quatuor annis citra, et seu quatuor proxime preteritis, compillate et ordinate fuerunt servaremur; et quod ad conservationem studij scientie prelibate nichil utilius esse censetur, quam statuta et ordinamenta vetera, equitatem et iusticiam in se continentia, et que diu probata et observata sunt, observari debere, et ab illis non discedj et talia sic noviter et post dicta statuta vetera que honorem et utilitatem certorum et non universorum concernere, immo tollere libertatem tam Studij Bon. quam doctorum civium civitatis Bon. tantummodo censentur, penitus in irritum revocare, ut sic cives Bon. iuniores in dicta scientia doctorati et doctorandi, et qui in ea cupiunt et conantur proficisci ad studendum et legendum fortius et magis assidue in studendo et legendo animentur et concurrere possint et valeant in lectionis scientie predicte, maxime ordinarijs, et que ordinarie de mane leguntur cum alijs doctoribus dicte scientie antiquioribus, per quorum concursum seu concurrentium, doctores antiqui scientie predicte legentes, timentes eorum honorum et famam non diminui, et iuniores cupientes eorum honorem et famam augeri studio assidue et subtiliter intendunt et scholaribus deservient et sic valentiores devenient, propter quod studium in scientia predicta conservabitur et augmentabitur; volentes insuper in predictis de salubri remedio utilitati et conservationi dicti studij providere, prehabitis super predictis et infrascriptis ratiocinijs quam pluribus inter eos, et etiam quam plurium aliorum civium consilij auditis, factoque et solemniter inter prefatos dominos Antianos et dominos de collegio celebrato scrutinio, et legitime obtento partito, vigore et auctoritate potestatis et arbitrij prefatis dominis Antianis et etiam dominis de collegio concessorum et attributorum, et pro utilitate evidentj et conservatione et augmento studij scientie predicte, et omnj modo, iure, via et forma, qua et quibus melius potuerunt, providerunt, ordinaverunt, statuerunt, decreverunt et firmaverunt, quod predicta statuta collegij doctorum dicte scientie medicine in dicto Millesimo Trecentesimo septuagesimo octavo compillata et approbata, ut supra dictum est, tamquam equa et iusta et dicto studio utilia debeant de cetero per doctores collegij scientie predicte et per quemlibet eorum et per ipsum collegium doctorum et per scolares et alios quoslibet, cuiuscumque gradus, qualitatis et conditionis existant, inviolabiliter observari, et sint et esse censeantur et intelligantur ex nunc et de cetero statuta et ordinamenta collegij doctorum dicte scientie et scholarium universitatis scientie predicte, salvis semper manentibus statutis comunis Bononie per Comune Bon., seu per statutarios dudum a dicto comuni electos, hodie vigentibus, de studio et universitate scientie predicte disponentibus; quibus per supradicta vel infrascripta nullatenus derogetur. Et quod teneantur et debeant predicti doctores et collegium doctorum, scolares et alij ad quos tangerent dicta statuta et ordinamenta

collegij doctorum sic compillata et approbata in dicto Millesimo Trecentesimo septuagesimo octavo, in cunctis que disponunt, servare et adimplere, et supradictam constitutionem et seu provisionem factam, rogatam per dictum Johannem de dugliolo notarium et contenta in ea et cetera alia statuta, ordinamenta et constitutiones dicti collegij doctorum, seu per ipsum collegium post dicta statuta vetera, et eorum approbatione facta et ordinata aliquo tempore a Millesimo Trecentesimo nonagesimo primo citra, iurata vel non iurata, que non fuerint in consilio generali comunis Bon. legitime approbata et confirmata, tamquam inutilia et damnosa studio scientie predicte, et contenta in eis, in irritum cassaverunt, et declaraverunt cassa esse et nullius vallis vel momenti, et de cetero perinde censi et haberi ac si numquam facta vel compillata fuissent. Et quod dictum collegium doctorum vel [479] aliqui de collegio predicto non audeant vel presumant de cetero talem constitutionem vel provisionem, qualis et prout fuit et est dicta constitutio et provisio rogata per dictum Johannem notarium, vel ei in effectu similem, aut aliquam provisionem, constitutionem, vel ordinationem, statutum vel decretum facere, vel ordinare, nisi ipsa et ipsam et tale quidquid sic provideretur vel ordinaretur fieret et procederet de consensu et consilio omnium doctorum de dicto collegio, vel saltim sex partium ex septem partibus ipsorum doctorum collegij predicti presentium in civitate Bon., vel comitatu seu districtu eiusdem et [inter] se concordantium; de quorum consensu et voluntate apparere debeat per scripturam publicam, et etiam nisi approbatum fuerit per dominos antianos et dominos de collegio et Confaloneriorum et Massariorum artium per tempora existentium et si aliter vel contra fieret, vel provideretur, non valeant ipso iure et pro non factis habeantur. Et nichilominus contrafaciens quilibet penam incurrat, vice qualibet, infrascriptam. Providentes insuper et mandantes quod dictum collegium doctorum, aut aliquis de dicto collegio, vel alius doctor, vel scholaris scientie predicte, vel aliquis alius cuiuscumque status et conditionis existat, non audeant vel presumant de cetero dicere, consulere vel arengare in dicto collegio doctorum, vel universitate scholarium scientie predicte, aut alibi, aut proponere, seu providere, vel ordinare nec procurare vel supplicare quod dicta provisio et constitutio, rogata per dictum Johannem, aut aliqua alia provisio vel ordinata per dictum collegium a dicto Millesimo Trecentesimo nonagesimo primo citra, debeant observari, vel quod contra aliquem vel aliquos doctores scientie predicte vel de dicto collegio doctorum aut de universitate predicta vigore vel occasione dicte provisionis et constitutionis rogate per dictum Johannem, vel aliquarum aliarum factarum a dicto Millesimo Trecentesimo Nonagesimo primo citra, ut dictum est, aliquid fiat, provideatur, vel decernatur, aut aliqua noxia, novitas fiat, vel attentetur contra aliquem de dicto collegio doctorum, vel aliquem alium, nec contra aliquam aliam personam possit aliquis cuiuscumque status, officij, vel conditionis existat, aliquam noxiam, novitatem facere vel attentare aut procurare, vel prosequi circa premissa, vel occasione premissorum, et maxime ex eo quod aliquis, vel aliqui doctores, scientie predicte vel de dicto collegio doctorum procurasset, vel procurasse diceretur, dictam provisionem et constitutionem, rogatam per dictum Johannem notarium, infirmari tolli, vel annullari, seu etiam dicta statuta vetera observari, sub pena centum Bon. auri pro quolibet contrafaciente in aliquo de capitulis et partibus huius provisionis et pro qualibet vice, pro dimidia comunj Bonon. et pro alia dimidia denunciandi, vel accusandi, seu leso, applicanda et de facto auferenda per quemlibet officialem comunis Bon. requisitum pro predictis, nulla servata solemnitate iuris vel statutorum, pena ipsi officiali requisito et negligentj eam exigere, pro qualibet vice Quingenta Bon. auri de suo salario retinenda. Mandantes demum et providentes contenta in presenti provisione et ordinamento debere de cetero ab omnibus cuiuscumque status et conditionis existant, dignitatis vel officij, inviolabiliter observari; ad quorum observationem domini Antiani et dominj de collegio, qui per tempora erunt, ac etiam potestas et capitaneus populi, et quilibet alius officialis dicti comunis sollicitent et intendant quotiens fuerint requisiti, sub penis et alijs supradictis; de quibus omnibus et singulis prefati dominj Antiani et domini de collegio voluerunt et mandaverunt quod per me Tadeum Nanini de Mamelinis notarium, et nunc notarium pro comuni Bonon. officio reformationum, de predictis omnibus publica fiat scriptura et provisio.

(L. + S.) Ego Tadeus filius Nanini de Mamelinis, civis Bon., publicus Imperiali et comunis Bon. auctoritate notarius, et nunc notarius officio Reformationum [480] populi et comunis Bon., predictis

omnibus interfui, eaque rogatus ac de mandato dictorum dominorum Antianorum et de collegio, publice scripsi et subscripsi.

Ego Franciscus quondam Jacobj de Moneta, civis Bon., publicus Imperiali et comunis Bononie auctoritate notarius, et nunc notarius prefatorum dominorum de collegijs, predictis omnibus interfui et de mandato dictorum dominorum de collegijs me subscripsi, scripsi.

In christi nomine amen. Anno nativitatis eiusdem Millesimo Trecentesimo Nonagesimo septimo, Indictione quinta, die tertio decimo mensis Novembris, tempore Pontificatus dominj nostri dominj Bonifacij divina providentia pape nonj. Magister Antonius de Ferris, prior, congregatis et choadunatis omnibus doctoribus et magistris collegiatis, seu maiori parte eorum, proposuit, quod si aliquis esset qui vellet proponere aliquid quod foret utile pro dicto collegio, deberet proponere; tunc surexit Magister Johanes de Muglio [qui] proposuit et arengavit quod utile esset providere, decernere et deliberare quod nullus in facultate medicine doctoratus, vel doctorandus, debeat vel possit de ceptero petere vel procurare aggregari dicto collegio, nisi talis agregandus vel incorporandus, saltem post publicam suam, per trienium legerit publice in scolis aliquem librum vel tractatum. Et quod dominus prior dicti collegij non possit aliquid facere vel atentare vel proponere, quod habeat contempnere honorem vel utilitatem dicti collegij, nisi primo hoc deliberaverit cum omnibus consiliarijs vel maiorj parte eorum secundum quod per statutum collegij dominorum doctorum collegij Juristarum est provisum. Qui dominus prior et omnes alij doctores et Magistri infrascripti, qui representant et soliti sunt representare totum collegium facultatis medicine, considerantes omnia predicta esse utilia et cedere ad honorem, exaltationem et bonum regimen dicti collegij, si predicta provideantur et firmentur, maxime atento quod per collegium doctorum Juristarum ita est statutum, ideo providerunt, decreverunt, firmaverunt et deliberaverunt et statuerunt, posito prius partito ad fabas albas et nigras, prout moris est eorum; in quo non interfuit nisi una faba nigra, et obtempo, secundum formam statutorum dicti collegij facultatis medicine, quod nullus doctoratus vel doctorandus in dicta facultate possit, vel debeat, incorporari vel agregari ut incorporatus dicto collegio, nisi publice legerit per trienium in scolis et de hoc fecerit fidem legitimum tempore quo pecierit talem incorporationem et agregationem fieri, et tunc sic incorporatus gaudeat omni comodo et privilegio incorporatorum. Et aliter vel alias facta incorporatio non teneat ipso iure. Et incorporantes contra vel preter dictam formam sint privati omni honore dicti collegij per quinque annos. Et talis sic incorporatus perpetuo non possit incorporari dicto collegio.

Ac etiam statuerunt, providerunt et deliberaverunt quod prior nullam postam vel aliquid aliud possit proponere tempore sui officij in dicto collegio, nisi primitus illud tale proponendum deliberaverit et obtinuerit inter omnes consiliarios, vel maiorem partem eorum quod sic proponatur, et de hoc constare debeat per scripturam notarij dicti collegij, alias talis propositio et posta, etiam si a toto collegio fuerit obtenta, non teneat et ipso iure sit nulla, et quicquid ex ea fuerit secutum. Et prior sic proponens sit periurior et privatus omni honore dicti collegij, et cadat in penam viginti quinque librarum bon. applicandam dicto collegio.

Nomina vero doctorum qui interfuerunt omnibus predictis, sunt hi, videlicet: [481]

Magister Antonius de Ferris, prior dicti collegij.
Magister Baldassare de confortis.
Magister Martinus de Ricardis.
Magister Iohanes de Muglio.

Magister Franciscus aristotilis.
Magister Bertolomeus Rizolus.
Magister Guizardus de principi[bu]s.
Magister Petrus de Argelata.
Magister Bandinus de muglio.

Qui Magister Antonius de Ferris, prior predictus, de consensu suprascriptorum doctorum, et omnes suprascripti doctores de mandato dicti dominj prioris, sponte juraverunt corporaliter ad sancta dei

evangelia, manu tactis scripturis, predicta statuta et omnia contenta in eis perpetuo observare et adimplere, nec contra predicta, vel aliquod predictorum, non contravenire per se vel alium quoquo modo, aliqua ratione vel causa, et etiam juraverunt predicta statuta nullj alterj propalare, vel manifestare, sed potius in secreto apud se retinere; mandantes me notarium infrascriptum ut de predictis omnibus publicum conficerem instrumentum.

Actum Bononie in sacristia sancti Petri Maioris de Bononia, presentibus Magistro Lodovico filio Antonij de Ianua, Bononie studente, Nicolao filio zechi de Regno, Magistro Beltrame filio Guglielmi de faba, bononie studente, testibus omnibus ad predicta adhibitis vocatis et rogatis.

(L. + S.) Ego Johanes, filius M. Martinj de Ricardis, civis bon., publicus imperialj et Comunis Bononie auctoritate notarius et nunc doctorum dicti almi collegij, predictis omnibus interfui et rogatus scribere publice scripsi, subscripsi.